
65 13



QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS MANE' DISCUTIENDA,

IN SCHOLIS MEDICORUM,

Die Jovis Februarii undecimâ 1706.

M. JOANNE DE'PINEY PESCHARD DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

Utrum, æstuante Febrium intermittentium paroxysmo, venæ sectio?

I.



QUANDIU non lutulenti, sed sinceri fluunt corporis liquores, febre non tentatur; expedito motu in tenuissimos tubos illabuntur. Obeunt alacriter partes solidæ suas functiones, quia liquidorum moles æquam habet rationem ad vasorum amplitudinem, & vires. Tonico, & perenni motu concitatæ fibræ solidorum, promovent facilem transpirationem; liquida placido cursu quaquaversum impulsa à solidis, diffunduntur, & benignum ubique rorem impertiuntur; rursùs suâ texturâ, & Mathematicâ sibi cohæsione devincta solida, nullis obicibus impedita, levi impetu liquidorum impelluntur. Hîc motum perennem contempleris, de quo texuêre tot futilia commenta otiosi Philosophi. Tria stupendam hanc concordiam perturbant. Vitia solidorum, moles liquidorum major, quàm quæ possit motu libero intra vasa fluere; eorumdem corruptela, viscidis crassisque particulis illata, quæ vel difficulter liquidi naturam suscipiunt, vel eam, suâ contumaci figurâ, penitùs induere renuunt. Ubi liquida redundant, eam resistentiam impetui solidorum objiciunt, quæ vix ab illis possit superari; illorum impulsa motu laborioso intra vasa ægriùs feruntur: angustiori, pro suâ mole, aut turgescentiâ, spatio

vasorum coarctata; motus enim in pleno, inanis est fabula. Hinc gravitates, & difficultates spirandi, unâ, aut alterâ venæ sectione tollendæ; si diutiùs illa protrahatur, facilé sanguis vitium concipit. De liquidis enim compositis, ea naturæ lex est, ut per quietem, pravâ fermentatione, labem citò contrahant, aut omninò dissolvantur, in alienam mutata à priori naturam. Ubi autem liquidis heterogenea miscentur, partes ipsorum, partibus suis viscidis, vel irretiunt, vel crassis obtundunt, vel earum figuris, ab invicem divellunt, vel pondere obruunt; tum liquidi nativi moleculæ ægré, & motu progressivo, & circá centrum suum volvuntur; tota moles facta ipsa viscidior, torpescit, motui suscipiendo, aut communicando inepta. Parte hujus materiæ in aliquem angulum impactâ, dolor, inflammatio, & apostemata gignuntur. Solida remisso motu, & languido, at frequentiùs repetito, aguntur, quòd illum à fluidis mutuentur, pigris & turbulentis, acribus tamen, quæ vellicationibus spasmos illis, non motus ad Mathematicas leges exactos, pro naturæ instituto, impertiuntur. Liquida ergò spissioris diathesis, adversùs solida eâ resistentiâ luctantur, quæ vix superatur à solidis. Inde vires concidunt, languescunt functiones, aer, solus magna vis, & potentia naturæ, spisso liquido implexus, virtutem resiliendi, & impetum elidit. Ita, motu corporis penè obliterato, ejus extrema frigore corripiuntur; motus enim, & caloris in corpore nullum discrimen. Cum superior est resistentia liquidi crassioris resistentiâ solidorum, & aeris in liquidum infusi, de salute ægrotantis conclamatum est. Vano impetu conatur præsentem perniciem depellere; undè, paroxysmo declinante, nullus (victrix enim, pro eâ vice, natura evasit) omnes ineunte, aut furente pereunt. Chylus, malè subactus à solidis, crudior, acidus, aut nidorosus, facescit in substantiam flavam, subdulcem, aut amaram, quæ perversas fermentationes in sanguine concitat; de quibus immeritò bilem, aut salem volatilem oleosum, lienem, aut hepar criminantur; vitia enim, quibus corrumpuntur, ipsis chylus, & sanguis inflixerunt. Si partes heterogenæ, partibus sinceris sint inferiores, sale volatili bilis lixivioso, & succo pancreatico, salivæ non omninò dissimili, solvuntur, & subiguntur, partibus solidis in subsidium venientibus. In præceps aguntur particulæ, quæ nullo fœdere sanguini sociari possunt: eodem penè ritu, quo fiunt chymicæ *præcipitationes* Ipse perennis motus circuitionis non parùm confert ad eas excutiendas: coguntur vitiosæ particulæ cum sinceris, adactæ motu vehementi solidorum, meatus glandularum, & poros cutis simul, absque discrimine, subire, ut patet ex fœtore sudorum, & urinarum, remittente paroxysmo; aer etiam permixtus liquoribus, vi suâ elasticâ, ad illas detrudendas, cœteris adjungitur; sic paroxismus febrilis nisus est, & impetus naturæ, quæ sibi infesta sunt, molientis excutere.

II.

TOT videntur esse hujus sententiæ argumenta, quot sunt febrium intermittentium symptomata; periodus paroxysmorum, membrorum gravitates, pulsus parvus, & frequens, frigus, dein æstus urens, capitis dolor, urina primum tenuis, postcá crassa, & turbida. Medici & Philosophi circá periodos paroxysmorum febrium intermittentium ingentibus spiritibus, sed infausto, ut videtur, exitu se exercuerunt. An non conjicere liceat molem liquidorum, in ratione esse debere ad vasorum amplitudinem, ut tamen liquida se liberè moveant: Fermentationem etiam, nisi

præſcriptâ quadam mole fermenti, non promoveri. Non coercetur quidem in vino granis aliquot limaturæ chalybis, at pluribus unciis ſubitò comprimitur. Amplitudo tubulorum corporis menſura eſt fermenti febrilis, quod in ſangninem, tempore febrium intermittentium, illabitur, Sanguis, ſuſcepto ad certam rationem, eo vitio, intumeſcit, donec iſta corruptela paroxyſmo deturbetur. Liquidorum partes temerario motu volvuntur, niſi ſolida eas dirigant. A ſolidis ergò repetenda erit, ad libellam compoſita, paroxyſmorum periodus, & ipſa circuitio ſanguinis, ſemper æquo curſu progrediens. Lautior cibus, per febrem ingeſtus, tempora paroxyſmorum accelerat, qui & longiùs protrahuntur, & recrudeſcunt vehementiùs, & febrem diutiùs fovent, factâ menſurâ fermenti magis confertâ, quam ubi parciùs uſurpantur alimenta. Sanguis his alienis particulis gravis, cordis, & arteriarum, muſculorum etiam, & membranarum reſiliendi virtuti, reſiſtenriam, longè ſolitâ majorem, objicit. Hinc ſapiens conditor naturæ ita cor fabricavit, ut vim impertitus illi fuerit, quæ nedùm tota ſeſe exerat, dum ſani ſumus, & liquores libero motu feruntur, ex minimâ ſui parte in illos non exercetur; explicatur autem, quantùm poteſt, dum morbo corripimur, ut liquidi viſcidioris gravem reſiſtentiam poſſit ſuperare. Hæc ita ſi ſe non haberent, homo, vel levi febre, ſtatim necaretur, quia ſemper cordis, & ſolidorum reſiſtentia, reſiſtentiâ liquidi foret inferior. Dum ſpiſſior ſanguis eſt, cor vim omnem ſuam impendit, debilem tamen, ſi fidem ſenſibus faciamus, quia hærens in eo luto, totis viribus luctatur. Frequentiâ autem ictuum leviorum, & conterit ſanguinem in minimas particulas, & celeriùs his repetitis vibrationibus, (ſpaſmos potiùs dixeris, illatos ab acribus liquidis, varios pro vario ſitu, texturâ, & configuratione ſolidorum) ſolitam circiter exæquat periodum circuitionis, quâ liquida impellit, dum ſanitate fruimur, & expedito motu labuntur, frequentiâ enim vibrationum reſarcitur, quod, lentore liquidi, cordis impetui detrahitur, & velocitatis gradus augentur pro mole, & ratione ponderis gravioris, quod impellitur. Non ex mole tantùm, ſed etiam ex velocitate, quantitas motùs eſt æſtimanda. Eadem velocitas globuli è ſclopeto emiſſi, quâ celerrimè torquetur, globum tormenti bellici à quiete non dimovebit, dum autem hic quieſcere videtur, ſternit, & comminuit obvia quæque; pro molis enim ratione, plurimos habet gradus velocitatis. Idem de ſanguine viſcidiori dixeris. Hinc collige ſapienter ægrorum ſaluti eâ ratione fuiſſe conſultum, qui certò perirent omnes, brevi temporis intervallo, ſanguinis mole penitùs concretâ, niſi vehementiùs ea pelleretur, dum lentior eſt, quàm ubi tenuis, & ſincera fluit. Motus ſolidorum illicò deficeret; ſanguinem etiam, eò tenaciorem eſſe, quò pulſus minor eſt, & frequentior. Infuſus, eâ labe tactus ſanguis, in veſiculas ſphæroidales muſculorum, aeris cum ſucco nerveo in eas allapſi, ſuo viſco elaterium elidit, retundit fibrarum ipſarum reſiliendi vim, ægrè aer, & fibræ ſe explicant, penè inani conatu & impetu, frequenti tamen; torpidus muſculi venter ſe vix attollit, tumidus quidem, ſed infarctu vitioſi liquidi. Indè gravitates membrorum, altum ſoporem, ſpirandi difficultates, commodè deduxeris, apoſtemata etiam aliquandò, ubi penitùs liquidorum motus intercipitur. Ipſorum mole, præter morem, perverſâ fermentatione turgeſcente, ſolita vaſorum amplitudo vix illi continendæ ſufficit, ne dum eo lapſu facili, quo par eſt, rapiatur; interna latera arteriarum, quibus & lenti ſanguinis particulæ hæreſcunt, penè ultrà metas ſuæ virtutis elaſticæ, turgente liquido

extenduntur ; undè graviter ad se redeunt, & remisso elatere, at celeriori, quàm in statu sano, pulsant. Pulsant quoque, insensili quidem, assiduo tamen motu tonico, motui cordis, & arteriarum synchronico, fibræ solidorum, cum viget sanitas. Premunt glandulas, & papillas pyramidales circa illas convolutæ germinationes nervorum, & musculi, exprimuntque laticem serosum, & cogunt in auras abire, flexuosis suis vorticibus percolatum. In febre transpiratio insensilis desinit, aut fit parcior, quia ille motus in peripheriâ, & longiùs à suo centro peragitur, concretis, velut gelu, corporis liquoribus, & coactis. Illicò membra extima frigus occupat, (nullum enim frigoris à quiete discrimen) dùm intima aliquandò crucianti calore utuntur ; quatitur æger tremulis subsultibus, quia conclusus aer in vesiculis musculorum, & in fibris membranarum, quantum potest, elaterium suum, sed sine lege, irretitus alienis particulis exerit, qui, si foret sui juris, calore magis resiliret, quàm premeretur. Frigore soluto, exercet ægrum universalis æstus, dùm remittit calor internus, dolor capitis immitis, phrenitis indocilis mitigari : scilicet liquida, particulis heterogeneis fœta, per quietem inficiuntur variis saporibus, acredine, aciditate, rancore, pro salium indole, aut sulphutum. Mustum non effervescit, nisi anteá uno, aut altero die quieverit ; sales evehuntur, secum congrediuntur vehementiùs, fervor ingens tunc agitat molem. Sanguinis sales, & sulphura, temerario, & concitato motu correpta, torquentur in membranas, & musculos totius corporis. Suis aculeis alienæ particulæ, purioribus strictiori, & ideò noxio fœdere sociatæ, ad rapidas vibrationes, & spasmos, illas adigunt. Istis crispationibus animæ infertur sensus doloris, & caloris. Solida ingentes in liquida vires exercent, crassiora conterunt & subigunt repetitis ictibus. Hæc vicissim, validâ vi, & pernicitate contorta in solida, jam vehementer commota, magis ac magis instigant, æstu urenti corpus excandescit. Magno impetu fermentatione concitatâ, partes heterogeneæ liquidorum, soluto vinculo, à sinceris secernuntur, tum viscerum incerniculis, tum vi effervescentiæ ; natant, velut caput mortuum, in seroso latice, &, cum eo, per ductus excretorios corporis in præceps aguntur. Nihil mustum, vel cerevisia, fœcibus turbida, quovis admoto colatorio, deponent. Si aliquandiù passus fueris ea fermentescere, fiet secretio alienarum particularum à nativis ; hæ limpidæ colatorii poros prætergredientur, illæ ipsis inhærebunt. Hinc, furente paroxysmo, pellucidæ, tenues, & crudæ sunt urinæ ; remittente, crassæ, & turbulentæ ; quia motu fermentationis, partes sanguinis, alienis deturbatis, sibi amico fœdere junguntur, undè eò salubrius est signum coctionis, quò subsidet copiosius sedimentum. Si autem, turgidâ liquidorum mole victis solidis, perseveret effervescentia, solvitur textura sanguinis, urinæ stant crudæ, aut evanescunt signa coctionis, ægerque fatis defungitur. Si verò solida superent resistentiam liquidorum, & valeant horum puriores particulæ vitiosas subigere, & detrudere, corpus in sudores, & urinas exsolvitur ; fibræ omnes, aut redundanti liquore tumidæ, aut irritatione crispatæ, nimiumque tensæ laxantur, redeuntque ad expeditum, & consuetum motum tonicum ; pulsus incipit æquo pede progredi ; evanescunt capitis gravitas, & dolor ; compressæ quiescunt paulatim, quæ in toto corpore molestiæ percipiuntur. Partes omnes ad officia solita revertuntur. Paroxysmus ergò febrium intermittentium nisus est, & impetus naturæ, satagentis, quo premitur, pondus excutere.

III.

NULLUM venæ sectione remedium laudatum est effusiùs, nullum pertinaciori maledicentiâ traductum. Alii sine lege, in omni morborum genere illud usurpant; alii ab eodem ubivis abhorrent. An non Iliacos intrá muros, & extrá peccari jure dixerimus? Qui supercilio intolerabili istud subsidium respuunt, naturam consulant, sibi vias insolitas aliquandò reserantem, ut se liberet onere graviori sanguinis exundantis, quo ipsa fatiscit. Pleni sunt, vel in margine scriptores istis exemplis. Quis negaverit in plethorâ, ægrum, majorem ex unâ venæ sectione, fructum percepturum, quám ex diuturno jejunio, assiduis, & repetitis corporis exercitationibus, cucurbitulis, aut hirudinibus? Repressis assuetis vacuationibus, sanguinis moles augetur. Omnia enim ita legibus Mathematicis in corpore contemperantur, ut liquores ad præscriptam mensuram suscipiat. Ubi prætergreditur eas metas, arte redundantia coercenda est, si natura sui oblita, ipsa sibi hærenti in discrimine, opem non ferat. Impunè aliquandò non patitur istud sibi non concedi præsidium, si per aliquod tempus huic assueverit, dolet eo negato, vitamque trahit infelicem. Quotidiè experientiâ compertum habemus, venæ sectione menstrua revocari, lochia fluere, abortum imminentem cohiberi, & promoveri partum difficilem. Fatemur quidem, *negativè*, ut aiunt, & *per accidens*, ferre suppetias venæ sectionem, ubi sanguis abundat, aut motus ejus intercipitur, aut languescit fermentatio. Secetur ergò vena, si, aut plumis, aut mensâ Sardanapali sanguinis moles aucta fuerit, aut repressæ sint solitæ vacuationes, aut eam secandi, statis temporibus, consuetudo inoleverit, aut effervescentiâ febrili sanguis perturbetur. Secetur autem, ejus æstu, & paroxysmo furente, si, quod speres ab eo remedio subsidium, & fructum, velis ægrotantem percipere; tunc enim favet naturæ molienti se expedire, & intentæ. Hæc sunt quatuor tantùm *essentialia* discrimina, quibus prudentibus venæ sectio suggeritur. Vitæ genus, varii tractus regionum, ætas, & vires, anni tempestates *secundariæ* sunt, & *accidentales* indicationes.

IV.

ILLE supremum artis apicem assecutus est, qui naturam, vegetam quidem, quám proximè potest, imitatur, (labascantem enim sustinere, erigere jacentem, præposteros motus ejus aut antevertere, aut cohibere, Medici officium est; quia ipsam agunt præcipitem ad interitum) verùm alacriter pugnantem adjuvet; hostis nervos, & lacertos rescindat, ut vividiores, validioresque sint: utiliores etiam ejus impetus. De solidis omnibus, quæ motuum sunt organa, dictum putes, quod jam de corde diximus; scilicet, sanitatis tempore, cùm liquida motu libero fluunt, minimam partem adversùs ea, virium suarum impendere: æstuante verò febrili paroxysmo, illas, quantùm possunt, explicare, ut objectam sibi liquidorum resistentiam superent. Si validiori vi luctentur, quám resistant liquida, hæc subacta conterentur; sin contrá: solida vires suas elident, inanes in conatus assurgent, & victa graviori pondere opprimentur. Atqui, furente paroxysmo, usurpata venæ sectio, venit in auxilium cordi, musculis, & arteriis laborantibus, atque ingentes conantibus in impetus erumpere. Partem liquidi resistentis detrahendo, solida facta alacriora, novas vires colligunt, animosiùs certamen recrudescit: quia tollitur objecta viribus illorum resistentia, quâ dibiliores erant, & frangebantur. Quandiù saltem manat sanguis, remittunt turgida liquida; (vinum æstuans in dolio, quandiù effluit

deponit furorem) intumefcunt quidem, ut antè, obturatâ venâ, fed repetitis venæ fectionibus, tandem quám minimùm in turgefcentiam attollitur tota moles, & licet brevius fit temporis intervallum, per quod fanguis effluendo detumefcit, folida maximo illud fibi lucro apponunt, quám celerrimè, remoto obice, oppreffas vires revocando, ut vincant liquidorum turgefcentiam, quæ validiùs fibi, quám ipfa eorum moles refiftit; non enim ex mole tantùm, fed etiam ex motùs velocitate, juxta leges naturæ, computanda eft refiftentia. Nolim arbitreris novas vires venæ fectione *positivè* folidis adjici. Infitas tantùm exerunt, detracto pondere, quo premebantur. Aer, totius motùs naturæ folus autor, membranis, quibus partes involvuntur, & mufculis conclufus, minùs, quám anteá, compreffus, fuum elaterium evolvit, ut magis expeditè motus edant alternos, & reciprocos; qui etiam intimis latet receffibus liquidorum, fpatio liberiori fibi conceffo, in vehementiores impetus erumpit, ut celeriùs deturbet alienas particulas; externus quoque faciliùs in fanguinem infunditur. Exerunt validâ vi fuum elaterium, quod in pleno fe explicare non poterat; externo enim pondere aere compreffo, laminum fpiralium, ex quibus conftat, extrema ad invicem, plus minùfve accedunt, (nullâ enim vi naturali cogi poffunt, ut ipfa fe tangant) quò pondus gravius eft, eò vehementiùs aer in elafticos impetus erumpit. Magis denfatur, quia laminum fpiralium extremis magis ad invicem adductis, minori fpatio, & volumine coercetur. Hinc, factâ venæ fectione, ftatim pulfus robuftior percipitur, ægrefcitque, ad tempus, febrilis ardor, quia liquida, folidaque tunc celeriori motu corripiuntur, & ingenti nifu conantur hærens fibi vitium excutere; vehementi calore accenfo, nafcitur alteruter ex his effectibus. Si liber fit aeri locus, ut fe explicet, rarior fit, & dilatatur calore; eodem verò elaftica vis augetur, fi loco anguftiori contrahatur. Calor aquæ bullientis ex tertiâ parte auget illud aeris elaterium, quo pollet terræ incumbens, à totâ atmofphærâ compreffus. Suftinet mercurium ad 28. pollices altitudinis. Vires novem pollicum, & quatuor linearum calore aquæ, ipfi accedunt: ut mercurius ad 37. pollices & 4. lineas afcendat. His adde, eodem gradu caloris, tantùm augeri dilatationem aeris, quantùm grave eft pondus, quo premitur: quia ignitæ particulæ in laminas fe inferunt, & eas evolvunt; fin contrá explicare fe nequeat, augebitur ejus elaterium. At venæ fectione demitur ex premente pondere, ut laminæ vifcidis particulis implicatæ, elaterium liberiùs exerendo, & illas excutiant, & fe dilatando, protrudant. Sanguis igitur, eâ methodo, citiffimè fœces deponit; aere enim interno cum externo, quo involvimur, revocato ad æquilibrium, partes folidæ inter utrumque interceptæ, ad folitam, liberamque motùs alternationem redeunt, quia tunc aer internus calore magis refilit, quám premitur ab externo: neque hic, ut anteá, pondere fuo, mufculos, & membranas, fabricatas conterendis liquoribus, opprimit. Antè venæ fectionem, in æftu febrili celebratam, mufculi inter liquidum vifcofum, & turgefcens, objicienfque refiftentiam, penè non imparem corporis folidi, atque immoti refiftentiæ, & pondus aeris externi conclufi, ferè torpidi, & pigri jacent. His adde, vifcidis humoribus imbuta folida, penè inani conatu, licet frequenti, fe vix attollere. Hinc tenfiones abdominis, fpirandi difficultas, motùs impotentia, partium durities. At venæ fectione ea tolluntur incommoda, & moleftiæ, quia faciliùs aer interior, receptis viribus mufculos repellit, ab externo compreffos; fic reftituitur motus alternationis mufculorum abdominis, qui repellunt aerem ex-

ternum, ab eo antè compressi, atque in viscera adacti. His stat, & continetur tenor vitæ, his machinæ operationes. Qui motûum solidorum corporis perennitati tam necessarius est aer, haud minùs confert ad liquidorum fermentationes. Fructus, & liquores in machinâ Boylianâ, etiam per plures menses asservati, exhausto aere, nullam, aut levem alterationem patiuntur; nullam quoquè mustum subit fermentationem, si dolium plenum diligentiùs, & citò obturetur, nec gratum acorem liquor consequitur, nec fœces deponit; è contrà, frangerentur retortæ Chymistarum, si ad ora implerentur. Aer enim, qui tredeciès comprimitur, ut ex sclopeto pneumatico compertum habemus, tredecies quoque dilatatur ultra statum naturalem, in liquoribus, quos continent vasa chymica coërcitus, expansus vi caloris, ea comminueret. quia vehementissimè fermentescunt. Promovetur ergò fermentatio celeriùs in spatio minùs contracto, sanguis citiùs à fœcibus liberatur, factâ venæ sectione, vigente, non verò depressâ ejus fermentatione, seù æstuante, non detumescente paroxysmo. Neque posteá diuturnam moram trahit febris, quin evanescat. Imò puriores sanguinis particulæ citò, excusso vitio, quo inficiebantur, servant à corruptelâ suam texturam, quæ, longiori vitiosi humoris contubernio, penitùs soluta fuisset, aut eam labem contraxisset, quæ, ex febri tertianâ simplici, accersivisset duplicem tertianam, aut continuam, & putridam: ut, in vulgari methodo, sæpiùs illud contingit, remittente enim paroxysmo, facta venæ sectio leve præsidium est, liquidum vitiosis particulis anteá grave, tunc verò magna ex parte exturbatis, detumuit. Solida quiescunt, & quantùm sanguinis tum detrahitur, tantùm demitur ex ipsorum viribus, quibus paria novis insultibus fierent. Hæc venit in auxilium non laborantis naturæ, atque hoste devicto. In eo, sine auxilio, conterendo vires suas exhausit, &, quæ supersunt, novâ vacuatione prosternuntur, ut sequenti paroxysmò ferendo sint impares. Sanguis emittitur ferè intaminatus, quia in præceps actæ sunt ejus corruptelæ priori paroxysmo; turbidus è contrà, eo æstuante, elicitur, & pars fermenti febrilis non minima subducitur. Tunc vegetum corpus, hosti profligando intentum, minùs ægrè patitur partis virium suarum jacturam, quâm ubi conatibus ingentibus, quos ediderit, penè exhaustæ fuerint. Undè experientiâ edocemur, eâ ratione usurpandæ in paroxismo venæ sectionis, hunc & fieri breviorem, & celeriùs elici sudores, atque urinas, & capitis dolores evanescere, & sitim sedari, & tensa, aut crispata solida acredine humoris remittere, ad motumque tonicum redire, & liberiùs sanguinem currere per corporis peripheriam.

V.

VENÆ sectio, educendo materiam febrilem, non impedit quidem, quominùs nova generetur, quæ posteá in vasa sanguinea deferatur: detractâ parte lactis bullientis, quod superstes est, ut anteá, effervescit; imò vehementiâ majori diutiùs tumultuatur, ignitis particulis faciliùs minorem molem materiæ moventibus; hinc frequentiùs repetitis venæ sectionibus, febres intermittentes continuæ fiunt: continuæ verò, impotenti excandescentiâ, ægrescunt. Quibus arridet consuetudo secandi venam, paroxysmo remittente, ipsi excutiant illud incommodum. Locum concedunt, & suppeditant occasionem vitiosæ materiæ, in visceribus latenti, se faciliùs in sanguinem infundendi, solidis liquidisque tum quiescentibus, & otiosis, nec intentis vitio, quod molestiam facescit, excutiendo, sicut satagunt illud deturbare, æstuante paroxysmo. Vires ipsorum venæ sectione, *negativè*

quidem, citissimè restituuntur, exerunt, quâ possunt, vi maximâ, suum elaterium; sed, ne faciat impetum, cohibentur, eo quo premuntur, pondere. Ensis inflexus, obice remoto, qui eum coercebat, statim, & subitò ad se revertitur. Conterunt ergò solida liquores vehementiùs. Comminuitur viscus, quo pravè inficiuntur. Liquidæ etiam, cum solidis, quasi sancito fœdere, vel subigunt, vel fugant, quæ sibi labem inferunt. Urgent, & quærunt ambititiosiùs, num venæ sectio sit sanguini, vitium contrahenti, præsens medela? Febrile fermentum, vel acidum est, vel amarum, variisque salibus, & sulphuribus refertum. Atqui neque amaritudinem sulphurum venæ sectio contemperat, neque acida limphæ retundit, neque infringit salium aculeos, neque mitigat succorum acredinem; partibus heterogeneis figuram, texturamque non impertitur, quâ fiant cum sanguine sociabiles, ut placidè circuletur, ut benignè cum illis fermentescat. Frustrá acescens vinum è dolio eduxeris, quod superit, acida non deponet. Qui venæ sectionem istis pulsare, aut etiam subvertere nituntur, iniquiùs, vel incautiùs hæc ingerunt. Liquidorum corporis sapores *positivè* ad insitam indolem revocare, non artis est opus, sed naturæ. Nihil opis, nisi *negativè*, ferre potest Medicina morbo correptis, rescindendo, vacuando, minuendo, deflectendo materiam, quæ peccat, Pharmaca ministrando, quæ conatus adjuvent, & promoveant impetus partium puriorum liquidi, ut validiùs cum heterogeneis luctentur, & abigant, vel augeant, minuantve motum tonicum solidorum, ut, junctis viribus, cum liquidis se vindicent in libertatem. Risum teneatis, spectatum admissi vinitorem, in grana uvæ acerbæ instillantem liquores, ut eum referant mense Julio, saporem, quem præstabunt, mense Septembris, ubi mitigata fuerint, concesso temporis intervallo, à sapienti naturâ præscripto. Possumus quidem ejus opus urgere, ut citiùs grana maturescant; ille verò laterem lavabit, qui supplere aggressus fuerit ejus operationes. Possumus ergò ei laboranti, & domandis pravis saporibus intentæ, ferre manus auxiliatrices; at sine illâ, æquè possumus carminibus cœlo deducere lunam.

Ergo, æstuante paroxysmo Febrium intermittentium, venæ sectio.

Domini Doctores disputaturi.

M. Ludovicus de Mondiers Dugué.
M. Raymondus-Jacobus Finot, Scholarum Professor.
M. Claudius Berger, è Regiâ Scientiarum Academiâ, & Scholarum Professor.
M. Philippus-Bernardus de Bordegaraye.
M. Jacobus-Simon-Gilles de la Rivierre.
M. Ludovicus Lemery, è Regiâ Scientiarum Academiâ.
M. Dominicus de Farcy.
M. Henricus-Mahieu, Reginæ Dotariæ Poloniæ Archiater.
M. Claudius Guerin.

Proponebat Parisiis JOANNES-FRANCISCUS COUTHIER, Vitellensis, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1706.

Ex Typographiâ P. A. le Mercier.